machinas tormentaque, velut a mari adgressurus Vticam, impo-
nit et duo milia militum ad capiendum quem antea tenuerat tu- 11
mulum super Vticam mittit, simul ut ab eo, quod parabat, in
alterius rei curam converteret hostium animos, simul ne qua, 12
cum ipse ad Syphacem Hasdrubalemque profectus esset, eruptio
ex urbe et impetus in castra sua relicta cum levi praesidio fieret.
his praeparatis advocatoque consilio et dicere exploratoribus 5
iussis, quae conperta adferrent, Masinissaque, cui omnia hostium
nota erant, postremo ipse, quid pararet in proximam noctem,
proponit; tribunis edicit, ut, ubi praetorio dimisso signa con- 2
cinuissent, extemplo educerent castris legiones. ita, ut impera- 3
verat, signa sub occasum solis efferri sunt coepta. ad primam fer-

bius erwähnt dies nicht. — *causam*] 'Vorwand', näml. *tollendi indutias*.

9. *relaturum se ad consilium*] s. 31, 9. — *tendente*] s. 23, 14, 8. — *nulli alii*] zu erklären nach Pol. 14, 2, 11: ἔπεμπε πρέσβεις δηλώσοντας τῷ Σύφακι, διότι συμβαίνει τὸν μὲν Πόπλιον εὐδοκεῖν καὶ σπουδάζειν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης, τοὺς δ' ἐν τῷ συνεδρίῳ διαφέρεσθαι καὶ φάναι διαμένειν ἐπὶ τῶν ὑποκειμένων. — *pacis . . cum Romanis*] über die Wortstellung s. 2, 5, 2.

10. *libera fide*] um nicht durch sein Wort gebunden zu sein; Pol. 14, 2, 12: χάριν τοῦ μὴ δόξαι παρασπονδεῖν. — *deductis navibus*] vgl. 29, 35, 14; die erwähnten Vorkehrungen erforderten längere Zeit und waren nach Pol. 14, 2, 2 schon bei Absendung der Gesandten vollendet; anders Appian; s. zu 3, 10.

11. *super Vticam*] s. 29, 35, 7; er mufs nach dem Folgenden zwischen dem Lager und der Stadt gelegen haben. — *simul ut . . simul ne . .*] s. zu 44, 8, 1.

5. 1. *consilio*] vgl. Pol. 14, 3, 5: τῶν χιλιάρχων τοὺς ἐπιτηδειοτάτους καὶ πιστοτάτους καλέσας περὶ μέσον ἡμέρας ἐξέθηκε τὴν ἐπιβολήν. — *exploratoribus*] wahrscheinlich sind die 4, 1 erwähnten Centurionen gemeint. — *Masinissaque*] durch die Nachstellung hervorgehoben; ebenso § 4. — *omnia hostium*] s. 29, 2, 6. — *postremo*] nach dem Abl. abs.; s. Iustin 16, 4, 3: *diu re in senatu tractata . . ad postremum . . petivere*; vgl. 10, 17, 5; zu 27, 42, 13.

2. *praetorio dimisso*] s. zu 26, 15, 6. — *signa concinuissent*] die Zeichen ertönen (d. h. werden mit den tubae gegeben); es geschah dies bei Beginn der ersten Nachtwache (s. Pol. 14, 3, 6), bei der Ablösung der Wachen (s. 7, 35, 1), bei Beginn der Schlacht (s. 9, 32, 7) und bei besonderen Anlässen; vgl. zu 24, 15, 1; 27, 47, 3. — *educerent*] vgl. 28, 2, 15. 14, 3.

3. *sub . .*] = 'kurz vor . .'; denn mit Sonnenuntergang begann die erste Nachtwache. — *ad primam vigiliam*] vgl. Pol. 14, 4, 1: ἅρτι

me vigiliam agmen explicaverunt; media nocte — septem enim milia itineris erant — modico gradu ad castra hostium perven-
4 tum est. ibi Scipio partem copiarum Laelio Masinissamque ac Numidas attribuit et castra Syphacis invadere ignesque conicere
5 iubet. singulos deinde separatim Laelium ac Masinissam seductos obtestatur, ut, quantum nox providentiae adimat, tantum diligentia expleant curaque. se Hasdrubalem Punicaque castra adgres-
6 surum, ceterum non ante coepturum, quam ignem in regiis castris
7 conspexisset. neque ea res morata diu est; nam ut proximis casis iniectus ignis haesit, extemplo proxima quaeque et deinceps con-
8 tinua amplexus totis se passim dissipavit castris. et trepidatio quidem, quantam necesse erat, in nocturno effuso tam late incendio orta est; ceterum fortuitum, non hostilem ac bellicum ignem rati esse, sine armis ad restinguendum incendium effusi in arma-
9 tos incidere hostis, maxime Numidas ab Masinissa notitia regio-
10 rum castrorum ad exitus itinerum idoneis locis dispositos. multos in ipsis cubilibus semisomnos hausit flamma; multi praecipiti fuga ruentes super alios alii in angustiis portarum obtriti sunt.
6 relucentem flammam primo vigiles Carthaginiensium, deinde excitati alii nocturno tumultu cum conspexissent, ab eodem er-

ληγούσης τῆς πρώτης φυλακῆς; App. 21: *τρίτης . . φυλακῆς ἠρέμα τῇ σάλπιγγι ὑπεσήμαινε*, was im Folgenden *media nocte* ist. — *agmen explicaverunt*] die Truppen stellen sich in Marschordnung auf und rücken ab; natürlich haben sie vorher die Abendmahlzeit eingenommen (s. Pol. 14, 3, 5). — *septem milia itineris*] vgl. Pol. 14, 4, 1: *περὶ ἑξήκοντα σταδίους*; anders 29, 2: *quinque dierum iter*; vgl. 44, 1, 4; zu 38, 59, 6.

4. *partem*] die Hälfte; s. zu 8, 4, 4; Pol. 14, 4, 2: *τοὺς ἡμίσεις . . τῶν στρατιωτῶν*. — *Masinissamque*] Stellung wie § 1.

5. *separatim*] jeden von beiden abgesondert; Polybius hat diesen Zug nicht, sondern nur die folgende Ermahnung. — *expleant*] das Fehlende ergänzen, 'ersetzen'.

7. *proximis*] Polybius: *πρώτας σκηνάς*. — *proxima . . continua*] immer das Nächste und so weiter fort das sich Anschliefsende; Pol. 14, 4, 6: *διά τε τὴν συνέχειαν τῶν σκηνῶν καὶ διὰ τὸ πλῆθος τῆς ὑποκειμένης ὕλης*. — *et . . quidem*] s. 27, 34, 2. — *quantam*] näml. *oriri*; vgl. 6, 26, 2.

8. *bellicum ignem*] eine ungewöhnliche Verbindung und wohl nur gewählt, um den durch *hostilis* angedeuteten Gegensatz zu *fortuitum* schärfer zu bezeichnen: mit dem Kriege in Verbindung stehend, wie es im Kriege zu entstehen pflegt; vgl. Pol. 14, 5, 5.

9. *notitia*] 'infolge . .'; s. 4, 19, 6; zu 22, 11, 6.

10. *multi*]* — *super alios alii*] s. 1, 25, 5; 22, 6, 5.

6. 1. *excitati . .*] vgl. 29, 6, 12. — *ab eodem errore*] *ab* = 'infolge' zur Bezeichnung des Grundes oder der Veranlassung; s. 16, 2; 27, 17, 5; 37, 51, 9; 38, 50, 12; 43, 13, 1; häufiger, wenn eine Leidenschaft oder Willensrichtung das Motiv ist; vgl. 21, 54, 6; 28, 19, 9; 32, 14, 8; bisweilen auch bei äufseren

rore credere et ipsi sua sponte incendium ortum, et clamor inter caedem et vulnera sublatus, an ex trepidatione nocturna esset, confusus sensum veri adimebat. igitur pro se quisque inermes, ut quibus nihil hostile suspectum esset, omnibus portis, qua cuique proximum erat, ea modo, quae restinguendo igni forent, portantes in agmen Romanum ruebant. quibus caesis omnibus, praeterquam hostili odio etiam ne quis nuntius refugeret, extemplo Scipio neglectas ut in tali tumultu portas invadit; ignibusque in proxima tecta coniectis effusa flamma primo velut sparsa pluribus locis reluxit, dein per continua serpens uno repente omnia incendio hausit. ambusti homines iumentaque foeda primum fuga, dein strage obstruebant itinera portarum; quos non oppresserat ignis, ferro absumpti, binaque castra clade una deleta. duces tamen ambo et ex tot milibus armatorum duo milia peditum et quingenti equites semermes, magna pars saucii adflatique incendio effugerumt. caesa aut hausta flammis ad quadraginta milia hominum sunt, capta supra quinque milia, multi Carthaginiensium nobiles, undecim senatores, signa militaria centum septuaginta quattuor, equi Numidici supra duo milia septingenti; elephanti sex capti, octo ferro flammaque absumpti. magna vis armorum capta; ea omnia imperator Vulcano sacrata incendit.

Gründen; s. 22, 34, 2; 25, 26, 7. — *credere*] sollte eigentlich nicht voranstehen, da *et* vor *ipsi* mit dem *et* vor *clamor* korrespondiert.

2. *clamor..confusus*] ‘verworren’ = *incertus* und so mit einem abhängigen Fragesatz verbunden; vgl. 29, 6, 19; das Geschrei war verworren und liefs nicht erkennen, ob es nicht von der nächtlichen Unordnung herrühre. Polybius hat den Gedanken nicht.

3. *inermes*] s. 26, 35, 7. — *restinguendo igni*] s. zu 10, 5, 5; anders 9, 4. — *praeterquam . . etiam*] s. zu 4, 17, 6.

5. *proxima*] näml. *portis*. — *velut sparsa*] Gegensatz zu *uno incendio*; das Feuer loderte an mehreren Stellen auf, gleich als wenn es ausgestreut wäre; vgl. 2, 11; das Feuer hatte sich schon verbreitet (*effusa*), doch sah es so aus, als ob nur hier und da eine Flamme hervorbreche. — *serpens*] bezeichnet das unmerkliche Fortschreiten, welches rasch (*repente*) erfolgen kann.

6. *obstruebant*] vgl. Sil. It. 11, 198; gewöhnlich bezeichnet dieses Verbum das absichtliche Verstopfen. — *clade*]*

8. *ad quadraginta . .*] vgl. 29, 35, 10; nach Appian, bei dem in der Nacht nur das Lager Hasdrubals überfallen wird, während sich Syphax mit seinem Heere am andern Morgen in sein Reich zurückzieht, werden 30000 M. getötet, 2300 gefangen; Polybius hat die Zahlen nicht. — *Carthaginiensium nobiles*] vgl. 29, 34, 17. — *senatores*] s. 26, 51, 2.

9. *equi*] zu dem Nominativ vgl. zu 34, 52, 7. — *supra . .*] s. 27, 42, 7. — *Vulcano sacrata incendit*] s. 1, 37, 5; 8, 10, 13; 23, 46, 6; 41, 12, 6; Prell. RM. 530. Polybius 14, 5, 15 macht die Bemerkung: *πολλῶν καὶ καλῶν διειργασμένων Σκιπίωνι κάλλιστον εἶναί μοι δοκεῖ τοῦτο τοὔργον καὶ παραβολώτατον τῶν ἐκείνῳ πεπραγμένων.*

7 Hasdrubal ex fuga cum paucis Afrorum urbem proximam petierat, eoque omnes, qui supererant, vestigia ducis sequentes se contulerant; metu deinde, ne dederetur Scipioni, urbe excesssit. mox eodem patentibus portis Romani accepti; nec quic-
2 quam hostile, quia voluntate concesserant in dicionem, factum. duae subinde urbes captae direptaeque: ea praeda et, quae castris
3 incensis ex igne rapta erat, militi concessa est. Syphax octo milium ferme inde spatio loco communito consedit; Hasdrubal Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mol-
4 lius consuleretur. quo tantus primo terror est adlatus, ut omissa Utica Carthaginem crederent extemplo Scipionem obsessurum.
5 senatum itaque sufetes, quod velut consulare imperium apud eos
6 erat, vocaverunt. ibi tribus *certatum sententiis, e quibus* una de pace legatos ad Scipionem decernebat, altera Hannibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam revocabat, tertia — Romanae in
7 adversis rebus constantiae erat — reparandum exercitum Syphacemque hortandum, ne bello absisteret, censebat; haec sententia, quia Hasdrubal praesens Barcinaeque omnes factionis bellum male-
8 bant, vicit. inde dilectus in urbe agrisque haberi coeptus et ad Syphacem legati missi, summa ope et ipsum reparantem bellum,

7—8. Neue Rüstungen der Karthager; Schlacht auf den Magni campi. Pol. 14, 6 ff. App. Lib. 24.

1. *Afrorum*] ist mit *urbem* zu verbinden; s. 29, 29, 2; nach Appian hiefs sie Anda. — *ne dederetur*] vgl. Pol. 14, 6, 3: *συνθεωρήσας τοὺς ἐγχωρίους στασιάζοντας.* — *excessit*] vgl. Pol. 14, 6, 3: *ἔφυγε μετὰ τῶν διασεσωσμένων· οὗτοι δ' ἦσαν ἱππεῖς μὲν οὐκ ἐλάττους πεντακοσίων, πεζοὶ δὲ περὶ διχιλίους.*

2. *subinde*] nachgestellt wie 28, 25, 1.

3. *inde*] näml. von der Gegend, wo Scipio stand. — *loco communito*] nach Polybius in der Stadt Abba; vgl. § 10. — *mollius*] ohne rechte Energie; vgl. 21, 9, 4.

4. *obsessurum*] vgl. Pol. 14, 6, 7 f.

5. *sufetes*] s. 28, 37, 2; sie werden von den Griechen *βασιλεῖς* genannt, von den Römern *reges* oder *consules* (s. Iustin 31, 2) oder, was der phönicische Name eigentlich bedeutet, *praetores*; s. 33, 46, 3; 34, 61, 15; vgl. 21. 3, 4; 28, 30, 4; dafs ihrer zwei waren, zeigt die Vergleichung mit den Konsuln. Sie berufen wie die römischen Konsuln den Senat; s. 24, 10; vgl. Fest. S. 309: *senatus censuit referentibus sufetis.*

6. *certatum sententiis*] vgl. 28, 26, 1. — *decernebat*] = *decerni volebat*, 'beantragte'; s. 2, 29, 5; 21, 10, 13. — *exitiabilis*] s. 27, 23, 4. — *in adversis rebus*] = *qualis Romanorum in adversis rebus esse solet*; vgl. 22, 37, 3. 54, 11.

7. *censebat*] s. 2, 4, 3. — *Hasdrubal . .*] Polybius erwähnt weder die Barcinische Partei, die nach Livius auch jetzt noch im Senate das Übergewicht hat (s. 16, 3. 5), noch Hasdrubal; doch wird dieser nach dem Beschlufs des Senates abgeschickt, um ein neues Heer zu bilden; s. 6, 13; nach Appian 24 (vgl. 36, 38) wird er abberufen und zum Tode verurteilt, führt aber auf eigene Hand den Krieg fort.

9. *dilectus*] s. 29, 4, 2. — *non*

cum uxor non iam, ut ante, blanditiis satis potentibus ad animum amantis, sed precibus et misericordia valuisset, plena lacrimarum obtestans, ne patrem suum patriamque proderet iisdemque 9
flammis Carthaginem, quibus castra conflagrassent, absumi sineret, spem quoque opportune oblatam adferebant legati quattuor 10
milia Celtiberorum circa urbem nomine Obbam, ab conquisitoribus suis conducta in Hispania, egregiae iuventutis, sibi occurrisse et Hasdrubalem prope diem adfore cum manu haudquaquam contemnenda. igitur non benigne modo legatis respondit, 11
sed ostendit etiam multitudinem agrestium Numidarum, quibus per eosdem dies arma equosque dedisset, et omnem iuventutem adfirmat ex regno exciturum. scire incendio, non proelio cladem 12
acceptam; eum bello inferiorem esse, qui armis vincatur. haec legatis responsa; et post dies paucos rursus Hasdrububal et Sy- 13
phax copias iunxerunt. is omnis excercitus fuit triginta ferme milium armatorum.

Scipionem velut iam debellato, quod ad Syphacem Cartha- 8
giniensesque attineret, Vticae oppugnandae intentum iamque machinas admoventem muris avertit fama redintegrati belli, modicisque praesidiis ad speciem modo obsidionis terra mari- 2

iam] hier, wie *ut ante* zeigt, = bereits nicht mehr; vgl. 2, 23, 7; 3, 50, 9; 6, 14, 2; doch wird in gleichem Sinne auch *iam non* gebraucht; s. 1, 25, 5; 3, 66, 2; 8, 2, 12; 10, 43, 6; vgl. Cic. p. Sull. 89, Agr. 41. 42. Die Bemerkung an u. St. steht zu 3, 4 in Beziehung. — *potentibus ad . .*] einwirkend auf . ., den . . beeinflussend; vgl. Tac. Ann. 6, 14: *ad Caesaris amicitiam validus.* — *amantis*] vgl. 11, 3: *aegrum amore.* — *misericordia*] durch ihr Jammern; vgl. Polybius: *δεομένης καὶ λιπαρούσης.*

10. *legati*] die § 8 erwähnten. — *Obbam*] ist wohl dieselbe Stadt, welche Polybius Abba nennt, wie Livius auch sonst oft in der Schreibung der Eigennamen von Polybius abweicht. Bei diesem begegnen jedoch die Iberer Syphax selbst, als er nach Abba aufbrechen will, und ihre Ankunft wird nach Karthago gemeldet. *nomine* hat Livius von seinem Standpunkte aus hinzugefügt. — *conquisitoribus*] s. 29, 35, 10. — *egregiae iuventutis*] nachträgliche Apposition zu *Celtiberorum*; vgl. 44, 30, 13; zu *iuventus* vgl. § 11; zu 2, 56, 14.

12. *scire*] s. 1, 9, 4.

13. *paucos dies*] Pol. 14, 7, 9: *ἐν ἡμέραις τριάκοντα περὶ τὰ Μεγάλα πεδία καλούμενα . . συνεστρατοπέδευον* (die Karthager) *δμοῦ τοῖς Νομάσι καὶ τοῖς Κελτιβηρσιν, ὄντες οὐκ ἐλάττους οἱ πάντες τρισμυρίων*; die Sammlung eines so grofsen Heeres in so kurzer Zeit ist leichter zu erklären, wenn Syphax den gröfsten Teil seiner Truppen bei dem Überfall gerettet hat, wie Appian berichtet. — *fuit . . milium*] vgl. 10, 36, 14; 23, 19, 17.

8. 1. *velut debellato*] s. zu 29, 32, 3. — *quod . . attineret*] s. 23, 25, 4. — *admoventem*] die Dämme waren also schon vollendet. — *avertit**] näml. von der Belagerung; s. zu 2, 57, 2.

2. *marique*] vielleicht ist an die

3 que relictis ipse cum robore exercitus ire ad hostis pergit. primo in tumulo quattuor milia ferme distante ab castris regiis consedit; postero die cum equitatu in Magnos — ita vocant — campos, subiectos ei tumulo, degressus succedendo ad stationes hostium 4 lacessendoque levibus proeliis diem absumpsit. et per insequens biduum tumultuosis [hinc atque illinc] excursionibus in vicem nihil dictu satis dignum fecerunt; quarto die in aciem utrimque 5 descensum est. Romanus principes post hastatorum prima signa, in subsidiis triarios constituit; equitatum Italicum ab dextro 6 cornu, ab laevo Numidas Masinissamque opposuit. Syphax Hasdrubalque Numidis adversus Italicum equitatum, Carthaginiensibus contra Masinissam locatis Celtiberos in mediam aciem ad- 7 versus signa legionum accepere. ita instructi concurrunt. primo impetu simul utraque cornua, et Numidae et Carthaginienses pulsi; nam neque Numidae, maxima pars agrestes, Romanum equitatum neque Carthaginienses, et ipse novus miles, Masinissam recenti 8 super cetera victoria terribilem sustinuere. nudata utrimque cornibus Celtiberum acies stabat, quod nec in fuga salus ulla ostendebatur locis ignotis neque spes veniae ab Scipione erat, quem bene meritum de se et gente sua mercennariis armis oppugnatum 9 in Africam venissent. igitur circumfusis undique hostibus alii super alios cadentes obstinate moriebantur; omnibusque in eos

Soldaten auf der Flotte zu denken, da diese selbst auf ihrem Posten blieb; s. Pol. 14, 8, 1: *συντάξας τοῖς πολιορκοῦσι τὴν Ἰτύκην ἃ δέον ἦν πράττειν καὶ τοῖς κατὰ θάλατταν ἐξώρμησε.*

3. *Magnos . . campos*] s. zu 7, 13; Cic. de or. 3, 167: *testes sunt campi Magni* (aus Ennius); sie sind westlich von Karthago, wahrscheinlich nicht weit von Utica zu suchen; vgl. Pol. 14, 8, 2: *ἀφικόμενος πεμπταῖος ἐπὶ τὰ Μεγάλα πεδία.*

4. *excursionibus in vicem*] s. 11, 6. — *descensum est*] s. 27, 41, 5.

5. *principes post . .*] vgl. 22, 5, 7; Pol. 14, 8, 5: *κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἔθηκε πρῶτον μὲν τὰς τῶν ἀστάτων σημαίας* (*signa* = Manipel), *ἐπὶ δὲ ταύταις τὰς τῶν πριγκίπων, τελευταίας δ' ἐπέστησε κατόπιν* (*in subsidiis*) *τὰς τῶν τριαρίων*; vgl. 32, 11. — *hastatorum prima signa*] kurz statt hinter den in erster Linie stehenden Feldzeichen (Manipeln) der Hastaten; vgl. 37, 39, 8: *hastatorum prima signa, dein principum erant.* — *ab dextro . .*] vgl. 1, 37, 3.

6. *Italicum*] der gröfsere Teil der Reiterei wurde damals schon von den Bundesgenossen gestellt. — *in mediam aciem . .*] vgl. 21, 46, 5; vgl. 34, 8; 28, 14, 9. 13. — *adversus signa*] Pol. 14, 8, 7: *Κελτίβηρας μέσους ἔταξαν ἀντίους ταῖς τῶν Ῥωμαίων σπείραις.* Über die *signa legionum* s. 28, 14, 10.

7. *utraque cornua*] s. 27, 22, 2. — *maxima pars agrestes*] s. 3, 9. 24, 9; 9, 37, 9; 39, 2, 3; vgl. 27, 12, 5; zu 9, 24, 12; *agrestes*: s. 7, 11. — *et ipse*] weil der Begriff *novus miles* auch in *agrestes* liegt. — *super cetera*] s. 1, 6; 21, 31, 12; 38, 43, 1.

8. *Celtiberum*] s. 24, 49, 7; 34, 17, 4.

9. *obstinate moriebantur*] s. 37, 32, 5: *obstinate restitere*; vgl. 15,

versis aliquantum ad fugam temporis Syphax et Hasdrubal praeceperunt. fatigatos caede diutius quam pugna victores nox oppressit. postero die Scipio Laelium Masinissamque cum omni Romano 9
et Numidico equitatu expeditisque militum ad persequendos Syphacem atque Hasdrubalem mittit; ipse cum robore exercitus 2
urbes circa, quae omnes Carthaginiensium dicionis erant, partim spe, partim metu, partim vi subigit. Carthagini quidem erat 3
ingens terror et circumferentem arma Scipionem omnibus finitimis raptim perdomitis ipsam Carthaginem repente adgressurum credebant. itaque et muri reficiebantur propugnaculisque armabantur, et pro se quisque, quae diutinae obsidionis tolerandae 4
sunt, ex agris convehit. rara mentio est pacis, frequentior lega- 5
torum ad Hannibalem arcessendum mittendorum, pars maxima 6
classem, quae ad commeatus excipiendos parata erat, mittere iubent ad opprimendam stationem navium ad Vticam incaute

8: *inpavide.* — *praeceperunt*] sie erlangten voraus, d. h. sie gewannen einen Vorsprung; vgl. 1, 7, 1.

9—10. Angriff auf die Flotte der Römer. Pol. 14, 9; App. Lib. 24f. Zon. 9, 12.

1. *expeditis militum*] wie 28, 14, 16; 37, 18, 8; der Gegensatz von *equitatu* zeigt, wie *militum* aufzufassen ist; vgl. 25, 21, 3; 34, 26, 2; zu 34, 28, 3. — *Syphacem atque Hasdrubalem*] nach Pol. 14, 8, 14 flieht Syphax in sein Reich, Hasdrubal nach Karthago, Lälius und Masinissa verfolgen nur den ersteren; nach Appian 26, der die Schlacht nicht kennt, wird der Zug gegen Syphax erst im folgenden Winter auf Anraten Masinissas angeordnet.

2. *quae . . dicionis erant*] die im Unterthanenverhältnis . . standen; s. 28, 44, 4f. Die Zahl der Städte, besonders der libyphönicischen, im Gebiete von Karthago war sehr bedeutend; s. 29, 28, 4; 42, 23, 2; Strabo 17, 3 S. 833; über die Lage derselben sagt Polybius 14, 9, 5: *πάντα δ' ἦν οἰκεῖα μεταβολῆς τὰ κατὰ τὴν χώραν, ἅτε συνεχῶς τε ἐγκείμενα ταῖς κακοπαθείαις καὶ ταῖς εἰσφοραῖς διὰ τὸ πολυχρονίους γεγονέναι τοὺς κατὰ τὴν Ἰβηρίαν πολέμους*; vgl. Mms. RG. I, 489; — *omnes*]* — *subigit*] paſst genau nur zu *vi*; zu *spe* und *metu* ist es hinzuzunehmen in der Bedeutung: bewirkt durch Erregung von Hoffnung oder Furcht, daſs sie sich unterwerfen; vgl. 21, 39, 5.

3. *Carthagini*] s. zu 44, 4. — *quidem*]*

4. *muri reficiebantur . .*] vgl. 29, 4, 2; *propugnacula* sind hier, da sie zur Verstärkung der Mauer dienen, Zinnen, gedeckte Gänge und Vorsprünge an oder auf der Mauer; s. Veg. 4, 6; anders 23, 18, 9. — *obsidionis** *tolerandae sunt*] was geeignet ist, die Ertragung einer Einschlieſsung möglich zu machen; s. zu 3, 24, 1.

5. *rara . .*] näml. im Senate: s. 7, 6.

6. *quae . . erat*] schon 3, 4 hieſs es: *deduxerant naves*; vgl. Pol. 14, 9, 7: *οἱ ἀνδρωδέστατοι δοκοῦντες εἶναι τῶν συμβούλων ταῖς μὲν ναυσὶν ἐκέλευον ἤδη πλεῖν ἐπὶ τοὺς τὴν Ἰτύκην πολιορκοῦντας καὶ τήν τε πολιορκίαν πειρᾶσθαι λύειν καὶ ναυμαχεῖν τοῖς ὑπεναντίοις, ἀπαρασκεύοις οὖσι πρὸς τοῦτο τὸ μέρος.* — *mittere*] näml. *senatum.* — *ad opprimendam stationem*] s. zu 25, 16, 9; unter *statio* ist die

agentem: forsitan etiam navalia castra, relicta cum levi prae-
7 sidio, oppressuros. in hoc consilium maxime inclinant; legatos tamen ad Hannibalem mittendos censent; quippe classi ut felicissime geratur res, parte aliqua levari Vticae obsidionem, Car-
8 thaginem ipsam qui tueatur, neque imperatorem alium quam Hannibalem neque exercitum alium quam Hannibalis superesse.
9 deductae ergo postero die naves, simul et legati in Italiam profecti; raptimque omnia stimulante fortuna agebantur, et, in quo quisque cessasset, prodi ab se salutem omnium rebatur.

10 Scipio gravem iam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque praeda in vetera castra ad Vticam missis, iam in Carthaginem intentus occupat relictum fuga custodum
11 Tyneta. abest a Carthagine quindecim milia ferme passuum locus
12 cum operibus, tum suapte natura tutus et qui et ab Carthagine conspici et praebere ipse prospectum cum ad urbem, tum ad cir-
10 cumfusum mare urbi possit. inde, cum maxime vallum Romani iacerent, conspecta classis hostium est Vticam a Carthagine petens.
2 igitur omisso opere pronuntiatum iter signaque raptim ferri sunt coepta, ne naves in terram et obsidionem versae ac minime navali
3 proelio aptae opprimerentur. qui enim restitissent agili et nau-

vor Utica stehende Flotte zu verstehen (s. 8, 2; App. 24: *ναύσταθμον*). — *incaute agentem*] s. zu 29, 3, 8. — *navalia castra*] s. 29, 35, 13; Zonaras: *πρὸς τὸ ἔρυμα τῶν Ῥωμαίων ᾧ χειμαδίῳ ἐχρῶντο.*

7. *classi*] ist Ablativ, s. zu 28, 7, 1; durch die Voranstellung wird der Begriff nachdrücklich betont. — *ut*] konzessiv, wie 22, 25, 2; 28, 12, 7.

9. *deductae*] Pol. 14, 10, 1: *οἱ μὲν εἰς τὴν Ἰταλίαν μέλλοντες πλεῖν εὐθέως ἐκ τοῦ βουλευτηρίου προήγον ἐπὶ θάλατταν, ὁ δὲ ναύαρχος ἐπὶ τὰς ναῦς.* — *in quo . . rebatur*] vgl. Thuk. 2, 8: *ἐν τούτῳ τε κεκωλῦσθαι ἐδόκει ἑκάστῳ τὰ πράγματα, ᾧ μή τις αὐτὸς παρέσται.*

10. *vetera*] castra Cornelia; s. 29, 35, 5. — *custodum*] d. h. der karthagischen Besatzungstruppen. — *Tyneta*) der Name wird 16, 1 und 36, 9 ebenso geschrieben, griech. *Τύνης*, j. Tunis; die Stadt liegt südwestlich von Karthago, an der Westseite des nur durch eine schmale Mündung mit dem Meere zusammenhängenden Golfs von Tunis, auf einem erhöhten Felsen, von dem aus der Hafen Karthagos, an der Südseite dieser Stadt, gesehen werden konnte.

11. *abest . . locus*] ähnlich 38, 13, 11; vgl. 42, 51, 5; Pol. 14, 10, 5.

12. *prospectum*] vgl. 10, 32, 6; 37, 23, 1; 44, 3, 7; Polybius 14, 10, 5 sagt nur: *ὁ Τύνης . . ἔστι σύνοπτος σχεδὸν ἐξ ὅλης τῆς πόλεως* (Karthago).

10. 1. *cum maxime*] 'als gerade'; vgl. 33, 12. — *Vticam*] dafs sie dahin steuern, konnte nur vermutet werden. — *raptim*] der Weg zur See war näher, und nur der § 9 erwähnte Umstand machte es erklärlich, dafs Scipio der Flotte zuvorkam. — *versae*] in Bezug auf *in terram* = mit den Vorderteilen gerichtet, in Bezug auf *obsidionem* = darauf gerichtet, damit beschäftigt.

3. *agili*] gehört zu *classi*. —

tico instrumento aptae et armatae classi naves tormenta machinasque portantes et aut in onerariarum usum versae aut ita adpulsae muris, ut pro aggere ac pontibus praebere ascensus possent? itaque Scipio, postquam eo ventum est, contra quam in navali certamine solet, rostratis, quae praesidio aliis esse *non* poterant, in postremam aciem receptis prope terram, onerariarum quadruplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit easque ipsas, ne in tumultu pugnae turbari ordines possent, malis antennisque de nave in navem traiectis ac validis funibus inligatis velut uno inter se vinculo conprendit tabulasque superinstravit, ut pervium in totum ordinem esset, et sub ipsis pontibus intervalla fecit, qua procurrere speculatoriae naves in hostem ac tuto recipi possent. his raptim pro tempore instructis mille ferme delecti propugnatores onerariis imponuntur, telorum maxime missilium, ut quamvis longo certamine sufficerent, vis ingens congeritur. ita parati atque intenti hostium adventum opperiebantur. Carthaginienses, qui, si maturassent, omnia permixta turba trepidantium primo 4 5 6 7 8

aptae] = 'versehen mit', wie 21, 22, 4; vgl. Caes. BC. 3, 111, 3; vorher (§ 2) mit Dativ, = zugerichtet für, 'passend für'. — *in .. usum versae*] so dafs man sie brauchen konnte . . — *adpulsis muris*] vgl. 21, 60, 2. — *aggere ac pontibus*] wie bei der Belagerung zu Lande Dämme oder von den Belagerungstürmen gelegte Brücken die Ersteigung der Mauern möglich machen; s. 24, 34, 7.

4. *contra quam*] s. 19, 9. — *rostratis*] s. 44, 28, 4. — *solet*] nämlich *fieri*, wie oft *ut solet*; s. zu 2, 33, 8. — *receptis*] sie waren nach § 3 mit Kriegsmaschinen beladen und zum Kampfe nicht verwendbar; s. Pol. 14, 10, 10: *συνορμίσας τὰς καταφράκτους νῆας*; sie werden im Folgenden nicht erwähnt; vgl. Appian: *ἐλπίσας (Ἀμίλχαρ) αὐτὸν . . τὰς οὔσας ἐκεῖ Ῥωμαίων εἴκοσι τριήρεις ῥᾳδίως ταῖς ἑκατὸν αἱρήσειν.*

5. *quadruplicem . .*] s. Polybius: *ἐπὶ τρεῖς καὶ τέτταρας τὸ βάθος.* — *pro muro*] vgl. Appian: *τὰ πλοῖα τοῖς κέρασι συνδῆσαι, ἵνα ἀντὶ τείχους ᾖ.* — *adversus opposuit*] s. 27, 48, 3. — *malis . . inligatis**] Polybius sagt einfach: *καθελόμενος τοὺς ἱστοὺς καὶ τὰς κεραίας ἔζευξε τούτοις αὐτὰς (φορτηγοὺς) βιαίως*; zu *inligatis* s. 5, 27, 9; 25, 36, 7; vgl. Curt. 4, 14, 15. — *superinstravit*] s. zu 2, 10, 11. — *pervium in . .*] ein 'Gang' (eigentlich Durchgang) nach allen Schiffen in der Reihe; *pervium* als Substantivum findet sich mehrmals; s. Sen. de prov. 6, 9; Fest. S. 371: *vici: ut in eo aedificio pervium sit, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habeat accessum.*

6. *pontibus*] es sind dies die *tabulae superinstratae*; vgl. Curtius: *superque eos pontibus stratis.* — *speculatoriae naves*] [s. 22, 19, 5; Polybius: *ὥστε ὑπηρετικοῖς ἐκπλεῖν δύνασθαι καὶ διαπλεῖν.*

7. *pro tempore*] entsprechend der kurzen Zeit. — *quamvis longo certamine*] = *etiamsi longum certamen fieret*; s. 27, 13, 13; vgl. 10, 28, 3; zum Ausdruck vgl. 34, 19, 2; auch 31, 41, 7; 42, 19, 3.

8. *parati . . intenti*] s. 24, 39, 4; 29, 6, 11; 35, 11, 9. — *omnia permixta turba*] s. 29, 1, 22; 44, 35, 12. — *trepidantium*] der ge-

9 impetu oppressissent, perculsi terrestribus cladibus atque inde ne
mari quidem, ubi ipsi plus poterant, satis fidentes, die segni navi-
gatione absumpto sub occasum solis in portum — Rusucmona
10 Afri vocant — classem adpulere; postero die sub ortum solis in-
struxere ab alto naves velut ad iustum proelium navale et tam-
11 quam exituris contra Romanis. cum diu stetissent, postquam nihil
moveri ab hostibus viderunt, tum demum onerarias adgrediuntur.
12 erat res minime certamini navali similis, proxime speciem mu-
ros oppugnantium navium. altitudine aliquantum onerariae su-
13 perabant; ex rostratis Poeni vana pleraque, utpote supino iactu,
tela in locum superiorem mittebant; gravior ac pondere ipso li-
14 bratior superne ex onerariis ictus erat. speculatoriae naves ac
levia alia navigia, quae sub constratis pontium per intervalla
excurrebant, primo ipsae tantum impetu et magnitudine rostrata-
15 rum obruebantur; deinde propugnatoribus quoque incommodae
erant, quod permixtae cum hostium navibus inhibere saepe tela
16 cogebant metu, ne ambiguo ictu suis inciderent. postremo asseres

schäftig durcheinander Laufenden; s. 27, 28, 10; vgl. 22, 19, 10.

9. *ubi plus poterant*] ausser dem eben erfolgenden Angriff haben die Karthager in dem ganzen Kriege noch nichts zur See ausgerichtet; Livius denkt an die Seemacht der Punier in früherer Zeit. — *fidentes*] voll Vertrauen, 'beherzt, mutvoll'; das vorhergehende *mari* ist Ablativ. — *Rusucmona*] die Silbe Rus (das phönicische *rosch*, Kopf, Vorgebirge) findet sich in den Namen vieler Seestädte. Der an u. St. erwähnte Hafen mufs in der Nähe von Utica gelegen haben, ist aber sonst nicht weiter bekannt.

10. *velut ad . .*] eigentlich = *velut si . . futurum esset*; die Hinzufügung von *velut* erklärt sich daraus, dafs es zu einer regelrechten Seeschlacht thatsächlich nicht kam. — *tamquam exituris . .*] zu *tamquam* mit Abl. abs. vgl. 36, 41, 1; zu 1, 14, 8. Die Verbindung verschiedener Konstruktionen wie 4, 6; 22, 16, 3.

11. *cum . . postquam . .*] s. 27, 2, 6.

12. *proxime . .*] = *sed proxime*, = sondern glich ganz . .; vgl. 2, 48, 6; 24, 48, 11. — *altitudine . .*] dafs es auch kleinere gab, zeigt 35, 51, 4: *parva oneraria nave exceptus*.

13. *utpote*] s. 2, 33, 8; 36, 24, 11. — *supino iactu*] insofern sich die Werfenden zurückbiegen mufsten; vgl. Caes. BG. 3, 13, 8: *neque propter altitudinem facile telum adigebatur.* — *libratior*] schwungvoller, wuchtiger; vgl. 7, 23, 8; 38, 29, 5; Tac. H. 2, 22: *ingerunt desuper . . pila librato magis et certo ictu.*

14. *alia*]* — *constratis pontium*] die Überdeckungen (Gänge), welche durch die pontes gebildet wurden, welche aus den pontes bestanden; s. § 5; vgl. Lucr. 4, 413: *per strata viarum.* — *ipsae*] ist ohne Berücksichtigung des dazwischenstehenden *ac levia alia navigia* auf *speculatoriae naves* bezogen.

15. *metu ne*] s. 3, 5, 5; 35, 30, 3; 36, 20, 1; das *metu ne . .* bezieht sich eigentlich auf die, welche *inhibebant saepe tela* (daher *suis*). — *ambiguo ictu*] der Schufs war ungewifs, d. h. es war unsicher, wen man treffen würde.

16. *asseres . . praefixi*] Vorrich-

ferreo unco praefixi — harpagones vocat miles — ex Punicis navibus inici in Romanas coepti. quos cum neque ipsos ne- 17
que catenas, quibus suspensi iniciebantur, incidere possent, ut quaeque retro inhibita rostrata onerariam haerentem unco traheret, scindi videres vincula, quibus aliis innexa erat, seriem etiam 18
simul plurium navium trahi. hoc maxime modo lacerati omnes 19
quidem pontes, et vix transiliendi in secundum ordinem navium spatium propugnatoribus datum est. sexaginta ferme onerariae 20
puppibus abstractae Carthaginem sunt: maior quam pro re laetitia, sed eo gratior, quod inter adsiduas clades ac lacrimas unum quantumcumque ex insperato gaudium adfulserat cum eo, ut 21
appareret haud procul exitio fuisse Romanam classem, ni cessatum a praefectis suarum navium foret et Scipio in tempore subvenisset.

tungen zum Entern, ähnlich den *ferreae manus*, wo dies nicht Bezeichnung der Enterbrücke ist; s. 36, 44, 8 f. Flor. 1, 18 (2, 2) 9; es scheinen an Ketten befestigte Haken gewesen zu sein; s. 24, 34, 10; Caes. BC. 1, 57, 2: *manus ferreas atque harpagones paraverant*; Plin. 7, 209: *harpagones et manus Pericles Atheniensis (invenit)*; Curtius 4, 2, 12: *ferreae quoque manus (harpagonas vocant) praeparabantur* stellt beide gleich; vgl. Liv. 38, 5, 4; auch in dem vorliegenden Falle sagt Zonaras: *χειρῶν σιδηρῶν ἐπιβολῇ*. — *vocat*] soll wohl bezeichnen, dafs dies der technische Ausdruck war; s. die St. aus Curtius; vgl. 1, 18, 7: *quem lituum appellarunt*.

17. *ipsos*] weil sie mit Eisen beschlagen waren; s. App. BC. 5, 118: *τὸν καλούμενον ἅρπαγα . . ξύλον πεντάπηχυ σιδήρῳ περιβεβλημένον, κρίκους ἔχον περὶ κεραίας ἑκατέρας*. — *ut quaeque . . traheret*] iterativer Konjunktiv; s. zu 4, 1. — *retro inhibita*] s. 26, 39, 12; 37, 30, 10. — *haerentem unco*] s. 2, 6, 9.

18. *aliis*]*

19. *hoc maxime modo*] s. zu 21, 38, 1. — *omnes pontes*] und zwar der ersten Reihe, die der zweiten sehr nahe gestanden haben mufs.

20. *sexaginta*] Scipio war mit 40 Kriegsschiffen und 400 Lastschiffen nach Afrika gekommen; s. 29, 26, 3. — *puppibus abstractae*] wie 24, 12; sie wurden 'an den Hinterteilen' weggeschleppt; vgl. *pedibus trahere* 22, 20, 2. Dieser Brauch, Zeichen des Sieges (Demütigung der Besiegten), hat sich bei Seestaaten am Mittelmeer bis in die neuere Zeit erhalten. Nach Appian sind die Karthager mit Verlust abgezogen, nach Zonaras hat der Kampf zwei Tage gedauert, am ersten für die Römer günstig, am zweiten mit dem Erfolge, den Livius angiebt. — *maior . . laetitia*] Urteil des Livius als Apposition zu dem ganzen Satze; s. zu 6, 13, 7. — *quantumcumque*] verkleinernd, wie 27, 31, 3. — *ex insperato*] s. zu 2, 37, 8. — *adfulserat*] s. 30, 15; 9, 10, 2; 27, 28, 14.

21. *cum eo*] mit dem Umstande, dafs, = 'so dafs zugleich'; s. 4, 56, 1; 8, 14, 2; 36, 5, 3. — *haud procul fuisse*] statt *futurum fuisse*, weil es ohne Abhängigkeit *haud procul fuit* (*paulum afuit*) hiefse. — *praefectis*] die Befehlshaber der einzelnen Schiffe; s. 29, 25, 7; der Befehlshaber der ganzen Flotte

11 Per eosdem forte dies cum Laelius et Masinissa quinto decumo ferme die in Numidiam pervenissent, Maesulii, regnum paternum Masinissae, laeti ut ad regem diu desideratum concessere. 2 Syphax pulsis inde praefectis praesidiisque suis vetere se conti- 3 nebat regno neutiquam quieturus. stimulabat aegrum amore uxor socerque, et ita viris equisque abundabat, ut subiectae oculis regni per multos florentis annos vires etiam minus barbaro 4 atque inpotenti animo spiritus possent facere. igitur omnibus, qui bello apti erant, in unum coactis equos, arma, tela dividit; equites in turmas, pedites in cohortis, sicut quondam ab Roma- 5 nis centurionibus didicerat, distribuit. exercitu haud minore, quam quem prius habuerat, ceterum omni prope novo atque in- 6 condito, ire ad hostis pergit. et castris in propinquo positis primo pauci equites ex tuto speculantes ab stationibus progredi, dein iaculis summoti recurrere ad suos; inde excursiones in vicem fieri, et cum pulsos indignatio accenderet, plures subire, 7 quod inritamentum certaminum equestrium est, cum aut vincen- 8 tibus spes aut pulsis ira adgregat suos. ita tum a paucis proelio accenso omnem utrimque postremo equitatum certaminis studium effundit. ac dum sincerum equestre proelium erat, multitudo Masaesuliorum, ingentia agmina Syphace emittente, susti-

(*praefectus classis* s. 26, 48, 7) war nach Appian Hamilkar.

11—13. Sieg über Syphax und seine Gefangennahme. Diod. 27, 7; App. Lib. 26 f.; Dio Cass. fr. 57, 73; Zon. 9, 13; Sil. It. 17, 125.

1. *Maesulii, regnum paternum*] vgl. 1, 20, 3: *virgines Vestae legit, Alba oriundum sacerdotium*; zu *paternum* s. 29, 30, 7. — *concessere*] = *convenere*, näml. *ad eum* (*Masinissam*) *ut regem . .*; vgl. 12, 20.

2. *vetere*] das er hatte, bevor er das Reich Masinissas eroberte; s. 29, 32, 1 ff. — *neutiquam*] hat Livius nur noch 4, 27, 10 und 7, 12, 11 angewandt.

3. *stimulabat**] zu dem Singularis vgl. 1, 58, 12. — *aegrum amore*] vgl. Sall. Iug. 29, 1: *animus aeger avaritia*; zur Sache vgl. 7, 8. — *subiectae oculis*] 'vor seinen Augen liegend', da er mehrere Jahre lang (*diu* § 1) diesen Teil seines Reiches nicht gesehen hatte. — *florentis*] s. 24, 48, 7; die Kriege mit Masinissa und den Römern haben die Kräfte des Reiches noch nicht erschöpft, so dafs Syphax alsbald das dritte Heer bilden kann. — *etiam minus . .*] vgl. 28, 5, 9: *vel segnem*.

4. *equos . .*] vgl. 23, 24, 9: *arma, viros, equos*; zu 26, 4, 8. — *quondam*] s. 24, 48, 11.

6. *in propinquo*] näml. der Feinde; nach Appian an einem Flusse, vielleicht dem Ampsaga. — *ex tuto*] s. 1, 13, 1; 22, 12, 10. — *speculantes*] s. 21, 6, 2. — *dein*] bildet eine Unterabteilung im ersten Gliede; dem *primo* entspricht *inde*. — *excursiones*] von Reitern in gröfserer Zahl ausgeführt; s. 8, 4. — *cum . . accenderet*] wiederholte Handlung.

8. *sincerum*] ohne Einmischung des Fufsvolkes. — *sustineri vix poterat*] s. 3, 5, 8.

neri vix poterat; deinde, ut pedes Romanus repentino per turmas 9
suis viam dantis intercursu stabilem aciem fecit absterruitque
effuse invehentem sese hostem, primo barbari segnius permittere
equos, dein stare ac perturbari novo genere pugnae, postremo 10
non pediti solum cedere, sed ne equitem quidem sustinere pedi-
tis praesidio audentem. iam signa quoque legionum adpropin- 11
quabant. tum vero Masaesulii non modo primum impetum, sed
ne conspectum quidem signorum atque armorum tulerunt; tan-
tum seu memoria priorum cladium, seu praesens terror valuit.
ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis, si pudore, si periculo 12
suo fugam sistere posset, equo graviter icto effusus opprimitur
capiturque et vivus, laetum ante omnis Masinissae praebiturus 2
spectaculum, ad Laelium pertrahitur. Cirta caput regni Syphacis 3
erat, eoque se ingens hominum contulit vis. caedes in eo proe- 4
lio minor quam victoria fuit, quia equestri tantummodo proelio
certatum fuerat, non plus quinque milia occisa, minus dimidium 5
eius hominum captum est impetu in castra facto, quo perculsa

9. *pedes*] nach dem Folgenden sind es die Veliten; s. § 11. — *intercursu*] s. 2, 29, 4. — *per turmas suas* . .*] s. 28, 14, 13; 29, 2, 8. — *suis viam dantis*] vgl. 33, 3. — *stabilem aciem fecit*] 'das Treffen zum Stehen brachte', da sie selbst nicht wieder zurückwichen. — *segnius permittere equos*] weniger heftig vorsprengen; über den Ausdruck s. zu 29, 2, 8. — *invehentem sese*] s. 6, 32, 8; vgl. 31, 35, 4.

10. *perturbari*]* — *audentem*] adjektivisch; durch den Erfolg der Fufstruppen ermutigt, greifen die Reiter von neuem an.

11. *signa legionum*] s. 8, 6; = die Legionen unter ihren Fahnen; doch nahmen die Legionen nach 9, 1 an der Expedition nicht teil.

12. 1. *obequitat*] s. 27, 32, 1. — *si . .*] um zu versuchen, 'ob'; s. 1, 57, 2; *si . . si* steht hier, wie § 12 anaphorisch. — *pudore*] durch Erweckung des Ehrgefühls; s. 27, 12, 15. — *equo graviter icto*] vgl. Non. S. 89: *congenuclare. Coelius ann. l. VII: ipse regis eminus equo ferit pectus advorsum; congenuclat percussus; deiicit dominum.* — *effusus*] s. 10, 11, 1. — *capitur*] nach Appian von Masinissa selbst. Als Tag der Schlacht giebt Ovid Fast. 6, 761 (769) den 24. Juni an.

2. *ante omnis*] s. 3, 58, 1.

3. *Cirta*] westlich vom Ampsaga gelegen, daher zum Reiche des Syphax gehörig; s. § 8; 44, 12; zu 29, 32, 14; Sall. Iug. 21. Der Satz *Cirta caput . .* beginnt so, als wenn der Schriftsteller seine Darstellung nach einem anderen Schauplatze verlegte. In Wahrheit fährt er aber in der Schilderung der Schlacht fort. Da nun in § 1 schon die allgemeine Flucht angedeutet ist, besagt § 3 nichts anderes, als dafs der Hauptstrom der Fliehenden sich nach Cirta ergofs (die Abteilung, welche die Gefangennahme des Syphax gesehen hatte, flüchtete sich ins Lager; s. § 5); der Stadtname aber ist mit einem gewissen Nachdruck hervorgehoben, weil die nächsten Ereignisse sich dort abspielen.

5. *quinque milia*] Appian: ἐς μυρίους, unter diesen 2500 Massylier, welche Masinissa hinrichten läfst. — *minus dimidium*] vgl. 24, 42, 5. — *eius*] partitiver Genetiv, = 'davon'; s. zu 10, 18, 7; *hominum*

6 rege amisso multitudo se contulerat. Masinissa sibi quidem dicere nihil esse in praesentia pulchrius quam victorem recuperatum tanto post intervallo patrium invisere regnum; sed tam se-
7 cundis, quam adversis rebus non dari spatium ad cessandum. si se Laelius cum equitatu vinctoque Syphace Cirtam praecedere sinat, trepida omnia metu se oppressurum; Laelium cum peditibus subsequi modicis itineribus posse. adsentiente Laelio prae-
8 gressus Cirtam evocari ad conloquium principes Cirtensium iubet. sed apud ignaros regis casus nec, quae acta essent, promendo nec minis nec suadendo ante valuit, quam rex vinctus in con-
9 spectum datus est. tum ad spectaculum tam foedum comploratio orta, et partim pavore moenia sunt deserta, partim repentino con-
10 sensu gratiam apud victorem quaerentium patefactae portae. et Masinissa praesidio circa portas opportunaque moenium dimisso, ne cui fugae pateret exitus, ad regiam occupandam citato vadit equo.

11 Intranti vestibulum in ipso limine Sophoniba, uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Poeni, occurrit et, cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis, tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata, genibus advoluta eius:
12 ‘omnia quidem ut posses in nobis, di dederunt virtusque et felicitas tua; sed si captivae apud dominum vitae necisque suae vo-

hängt von *dimidium eius* (‘halbsoviel’) ab; vgl. 21, 59, 8.

6. *dicere*] näml. *Laelio.* — *recuperatum*] s. 11, 1. — *patrium*] vgl. zu 29, 30, 7. — *secundis . . rebus*] s. zu 22, 37, 3. — *spatium ad cessandum*] s. 21, 25, 10.

8. *evocari*] s. zu 21, 25, 7. — *ignaros*] s. zu § 3. — *vinctus*] s. 27, 51, 11. — *datus est*] s. zu 3, 69, 9; vgl. zu 27, 27, 11.

9. *comploratio*] wie über einen Toten; s. 1, 41, 6. — *consensu . . quaerentium*] infolge der Übereinstimmung der Partei, welche . .; zu *quaerentium* vgl. 16, 5; 9, 13, 1; 22, 7, 12.

10. *circa portas*] rings an alle Thore. — *opportuna moenium*] s. 25, 30, 5; 28, 42, 3; die ein Entkommen begünstigenden Stellen der Mauern. — *citato equo*] ist nähere Bestimmung von *vadit*, ‘er geht los auf’; nicht als ob man *vadere equo* sagte, wie *ire equo* bei Dichtern; vgl. zu 4, 38, 4.

11. *vestibulum*] ein Vorraum zwischen Strafse und Hausthür (so in Rom; s. 2, 49, 2). — *Sophoniba*] bei Dio Cassius und Zonaras lautet der Name *Σοφωνίς*. Appian erzählt den Hergang bei Übergabe der Stadt etwas anders; das Verhältnis, in dem sie nach anderen Schriftstellern früher zu Masinissa gestanden hat (vgl. Diodor: *Σοφονίβα ἡ πρότερον μὲν Μασσανάσσῃ, μετὰ δὲ ταῦτα συνοικήσασα Σύφακι, τὸ δὲ τελευταῖον πάλιν εἰς συμβίωσιν ἐλθοῦσα διὰ τὴν αἰχμαλωσίαν τῷ Μασσανάσσῃ*), scheint Livius nicht gekannt zu haben; vgl. 29, 23, 3.

12. *omnia . .*] ohne *inquit*, obgleich *et* vorausgeht; s. zu 3, 11, 12; vgl. 18, 3; 29, 1, 8. — *in nobis*] s. 25, 10; vgl. 3, 4; 5, 11, 16; 29, 16, 5. — *felicitas*] wiederholt

cem supplicem mittere licet, si genua, si victricem attingere dex- 13
teram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua paulo
ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod
tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te
melioribus ominibus accipiant quam Syphacem hinc miserunt,
hanc veniam supplici des, ut ipse, quodcumque fert animus, de 14
captiva tua statuas neque me in cuiusquam Romani superbum et
crudele arbitrium venire sinas. si nihil aliud quam Syphacis uxor 15
fuissem, tamen Numidae atque in eadem mecum Africa geniti
quam alienigenae et externi fidem experiri mallem; quid Cartha- 16
giniensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis timendum sit, vides.
si nulla re alia potes, morte me ut vindices ab Romanorum ar-
bitrio, oro obtestorque'. forma erat insignis et florentissima ae- 17
tas; itaque cum modo *genua*, *modo* dextram amplectens in id, ne
cui Romano traderetur, fidem exposceret propiusque blanditias
iam oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolap- 18
sus est animus victoris, sed, ut est genus Numidarum in Venerem
praeceps, amore captivae victor captus. data dextra in id, quod
petebatur, obligandae fidei in regiam concedit. institit deinde repu- 19

das in *dii dederunt* Gesagte von einer anderen Seite. — *dominum vitae necisque*] ebenso Curt. 4, 4, 22; weil nach 14, 10 nicht allein der König, sondern alles, was ihm gehört, der unbeschränkten Macht des Siegers verfallen ist. — *vocem supplicem mittere*] vgl. Curt. 4, 68, 28: *num vocem supplicem misit?*

13. *per maiestatem*] s. 29, 18, 3. — *fuit*] Syphax hat aufgehört, ein Numider zu sein, weil er als Gefangener überhaupt seine Existenz eingebüßt hat. — *miserunt*] s. zu 24, 39, 12.

14. *quodcumque* . .] näml. *statuere*; *fert animus* wie Ov. Met. 1, 1. — *neque*] s. 23, 3, 3; 24, 3, 14.

15. *eadem mecum*] s. 28, 28, 14; vgl. 27, 5; Tac. An. 15, 2: *hunc ego eodem mecum patre genitum . . deduxi.* — *alienigenae*] im Ausland geboren; *externi*: einem anderen Staate angehörend; Gegensätze zum Vorhergehenden in chiastischer Stellung.

16. *si nulla re* . .] s. 28, 44, 18.

17. *forma* . .] vgl. Diodor: *τήν τε ὄψιν ἦν εὐπρεπὴς καὶ τοῖς τρόποις ποικίλη καὶ πᾶν ἐξομηρεύσασθαι δυναμένη.* Dio Cass. fr. 57, 51: ἡ (Sophoniba) *τό τε κάλλος ἐπιφανὲς εἶχε (καὶ γὰρ τῇ συμμετρίᾳ τοῦ σώματος καὶ τῷ ἄνθει τῆς ὥρας ἤκμαζεν) καὶ παιδείᾳ πολλῇ καὶ γραμμάτων καὶ μουσικῆς ἤσκητο.* — *in id*] s. zu § 18. — *propius blanditias* . .] s. 28, 40, 9.

18. *ut est* . . *praeceps*] s. 29, 23, 4; zu *praeceps in* vgl. 23, 7, 12; 26, 38, 3. — *victor*] ist als Gegensatz zu *captivae* absichtlich wiederholt. — *obligandae fidei*] ist Dativ des Zwecks, zu *data dextra* gehörend; von *obligandae fidei* ist *in id* abhängig; s. § 17; 28, 17, 9; 32, 24, 7; vgl. 9, 9, 7; Suet. Tib. 67: *ne se senatus in acta cuiusquam obligaret.* Ganz anders stellt Zonaras die Scene dar: *ἦν δ' ἐκεῖ καὶ ἡ Σοφωνίς. καὶ πρὸς αὐτὴν ὁ Μασινίσσας εὐθὺς εἰσεπήδησε καὶ περιλαβὼν αὐτὴν „ἔγω μὲν Σύφακα" εἶπε „τὸν ἀφαρπάσαντά σε, ἔχω δὲ καὶ σέ. ἀλλὰ μὴ δέδιθι·*

tare secum ipse, quem ad modum promissi fidem praestaret. quod cum expedire non posset, ab amore temerarium atque impudens
20 mutuatur consilium: nuptias in eum ipsum diem parari repente iubet, ne quid relinqueret integri aut Laelio aut ipsi Scipioni con-
21 sulendi velut in captivam, quae Masinissae iam nupta foret. factis nuptiis supervenit Laelius et adeo non dissimulavit improbare se factum, ut primo etiam cum Syphace et ceteris captivis detractam eam lecto geniali mittere ad Scipionem conatus sit.
22 victus deinde precibus Masinissae orantis, ut arbitrium, utrius regum duorum fortunae accessio Sophoniba esset, ad Scipionem reiceret, misso Syphace et captivis ceteras urbes Numidiae, quae praesidiis regiis tenebantur, adiuvante Masinissa recipit.

13 Syphacem in castra adduci cum esset nuntiatum, omnis vel-
2 ut ad spectaculum triumphi multitudo effusa est. praecedebat ipse vinctus, sequebatur grex nobilium Numidarum. tum, quantum quisque plurimum poterat, magnitudini Syphacis, famae gen-
3 tis victoriam suam augendo addebant: illum esse regem, cuius tantum maiestati duo potentissimi in terris tribuerint populi,
4 Romanus Carthaginiensisque, ut Scipio, imperator suus, ad amicitiam eius petendam, relicta provincia Hispania exercituque,
5 duabus quinqueremibus in Africam navigaverit, Hasdrubal, Poenorum imperator, non ipse modo ad eum in regnum venerit, sed etiam filiam ei nuptum dederit. habuisse eum uno tempore in

οὐδὲ γὰρ αἰχμάλωτος γέγονας, ἐμὲ σύμμαχον ἔχουσα".

19. *institit . . reputare*] s. zu 4, 22, 4; zu *secum ipse* vgl. Sall. C. 32, 1; Iug. 113, 1; Verg. Aen. 6, 185; Tac. Ann. 14, 53. — *ab amore . .*] unfähig, selbst einen Beschluſs zu fassen, läſst er sich von . . eingeben. — *impudens*] durch den er sich frech über das Schickliche (*pudor*; s. 5, 46, 7) hinwegsetzte und seine Würde verletzte.

